



Ræcipuum Artis Medicæ momen-
tum in eo situm esse, ut natura & vires medi-
caminum, quibus morbi quicunque a cor-
pore humano arcendi aut expugnandi, perspe-
ctæ habeantur, illi demum satis intelligunt, qui partium
omnium corporis humani texturas & structuras, morbo-
rumque omnium signa & causas ad unguem didicere, nec
tamen ægris suis satisfacere possunt, nisi remediorum
quoque exquisita prorsus notitia accedat; Cum tamen e-
contrario hac potissimum instructi felices semper in sa-
nandis ægris progressus habeant, licet speculationibus &
difficultatibus reliquis theoreticis non æque inhæreant.
Tanti adeo momenti res est, vires & usus Medicamento-
rum nosse; Hæ autem omnium optime per Chimiã ad-
discuntur, utpote qua unice naturæ profundissima secreta
eruantur, & sensibus omnibus conspicua reddantur, pura
ab impuris liberantur, noxia corriguntur, salutaria perfi-
ciuntur, & usibus demum Medicis satis applicantur; Uno
verbo, Chimia naturæ clavis est, quæ genuina & opti-
ma morborum remedia non solum suppeditat, sed eo-
rum quoque vires, operandi rationes genuinas, usus &
doses non per logismos, sed per ipsam naturam docet &
explicat. Placuit igitur ex his unicum tantum, sed uti-
lissimum, spirituum nimirum chemicorum genus, in præ-
senti quodammodo disquirere, meisque olim utibus desti-
nare; Faxit Jehova feliciter!